



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,
ex Eusebio Cæsariensi ...**

Eusebius <Caesariensis>

Haer. Chr. Egen., 1571

VD16 E 4284

36. Dictvm Potamienae virginis nobilis ad Basilidem, cùm denudata ad supplicium duceretur, propter Christi confessionem, atq; is homines impudicos irruentes in sanctam virginem auerte ret. Eus lib. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

*Mater vt impediât cari conamina gnati,
 Subtraxit longam nocte silente togam,
 Hic puer elusus maternis artibus audet,
 Quod fuit ætatis non puerilis, opus.
 Namq; rogat scriptis detentum in carcere patrem,
 Quod cœpit teneat perficiatq; fide.
 Non pater, hanc addens vocem, carissime, nostro,
 Non aliud cupias nomine quæso pater.*

35. ELOGIVM POPVLI DE O-
 rigene, qui exemplar fuit omnibus
 doctoribus Ecclesię & vitæ ho-
 nestæ & doctrinæ veræ.

Qvis hic est, qui quale habet verbum,
 talem habet & vitam. Quoniam quæ
 docet, hæc agit, & quæ agit, hæc docet.

*Talia de Origene est populus doctore locutus,
 Dogmate qui clarus, qui pietate fuit.
 O quam magnus hic est vir, habet qui qualia ver-
 Talem habet & vitam sanctus ubiq; piam. (ba,
 Quæ docet, hæc vitæ præstat quoq; moribus ipsis,
 Quæq; agit, hoc populum sedulus ore docet.*

36. DICTVM POTAMIENAE
 virginis nobilis ad Basilidem, cum denu-
 data ad supplicium duceretur, propter
 Christi confessionem, atq; is homi-
 nes impudicos irruentes in
 sanctam virginem auerte-
 ret. Euslib. 6. ca. 5. Cer-

Certus esto, quòd cùm abiero ad Domi-
num meum sine mora, boni huius re-
munerationem parabo.

*Potamiena fuit claro de stemmate virgo,
Ob Christi nomen tradita sancta neci.
Hanc ubi nudatam raptaret licitor ad ignem,
Tentat lenonum tollere turba ferox:
Basilides casto ductus sed amore pudoris,
Tutatur corpus virgineumq; decus.
Nam repulit cacam casto de corpore turbam,
Talia cui virgo verba pudica refert:
Huius, ne dubita, reddam tibi premia facti,
Cùm veniam in Domini caelica regna mei.*

37. EX CAPITE VII. DE VLTIO-
ne & poenis trium falsorum testium, qui
contra Narcissum Episcopum Hieroso-
lymitanum, falsum crimen testati erant,
quorum, vt ipsi optarunt, si falsa testaren-
tur, primus incendio perijt, alter mor-
bo regio, tertius oculis assiduè lach-
rymando orbatus est: de qui-
bus Eusebij memorabile
dictum extat.

Non ille magnus diuinæ prouidentiae
oculus quiescit in longum, sed in im-
pios vltionem per ea ipsa, quæ sibi in
periurijs statuerant, maledicta ingerit.

Nar.